



## C A P U T   V I I

# C o m p o t a t i o   D ē m ē n s

Mēnsa ante domum sub arbore sita est, ad quam Lepus Mārtius et Petasivēnditor pōtiunculam sūmēbant. Inter eōs Glīs sedēbat, plānē sōpītus. Cēterī ambō velut cubitālī eī innītēbantur, cubitīs suffultī, et suprā caput ejus loquēbantur. “Glīrī quidem incommodissimum est,” Alicia reputāvit; “sed cum dormiat, id, opīnor, lentē perpetitur.”

Quamquam mēnsa magna erat, omnēs trēs in ūnō angulō ūnā compressī sunt. “Nūllus locus, nūllus locus est!” exclāmāvērunt, cum Alicia accēderet. “Satis locī superque est!” Alicia indignanter dīxit. In cathedrā magnā ad extrēmam mēnsam cōnsēdit.

“Mihine licet tibi vīnum praebēre?” Lepus Mārtius blandā vōce dīxit.

Alicia mēnsam tōtam circumspectāvit; nihil autem in eā praeter theam erat. “Nihil vīnī videō,” inquit.

“Nihil est,” Lepus Mārtius inquit.

“Cōmiter ergō nōn ēgīstī cum vīnum obtulisti,” Alicia īrātē dīxit.

## C O M P O T A T I O   D ē M ē N S

“Cōmiter tū nōn ēgīstī cum nōn vocāta cōnsēdistī,” Lepus Mārtius dīxit.

“Nesciēbam tuam ipsīus mēnsam esse,” Alicia inquit; “multō plūribus quam tribus apposita est.”

“Capillum tuum oportet tondērī,” Petasivēnditor inquit; aliquamdiū magnā cūriōsitatē Aliciam intuēbātur, tune autem prīmum locūtus est.

“Ā contumēliīs tibi temperāre dēbēs,” Alicia sevērē dīxit; “maximē inhūmānum est.”



Hīc Petasivēnditor in eam obtūtum dēfixit; hoc autem sōlum dīxit: “Quō modō corvus similis scrīniō est?”

“Eja! Nōs nunc oblectābimus!” Alicia sibi dīxit. “Mihi grātum est eōs aenigmata prōpōnere coepisse. Id quidem mē conjectāre posse crēdō,” clārā vōce addidit.

“Visne dīcere tē putāre tē explicātiōnem invenīre posse?” Lepus Mārtius dīxit.

“Ita plānē,” inquit Alicia.

“Dēbēs ergō dicere quod animō intendis,” Lepus porrō dixit.

“Ita vērō faciō,” Alicia cito respondit. “Animō saltem intendō quod dīcō—idem scilicet est.”

“Nōn omnīnō idem est!” Petasivēnditor dīxit. “Aequē possīs dīcere ‘Videō quod edō’ idem significāre atque ‘Edō quod videō’!”

“Aequē possīs dīcere,” Lepus addidit, “Dīligō quod accipiō’ idem significāre atque ‘Accipiō quod dīligō’!”

“Aequē possīs dīcere,” Glīs, in somnō ut vidēbātur loquēns, dīxit, “Spīrō dum dormiō’ idem significāre atque ‘Dormiō dum spīrō’!”

“Tibi vērō ambō idem significant,” Petasivēnditor dīxit. Inde sermō paulum intermissus est. Alicia omnia meditābātur quae dē corvīs scrīnīisque meminisse poterat. Minima quidem erant.

Petasivēnditor, silentiō ruptō, ad Aliciam versus pīmus dīxit: “Quotus diēs mēnsis est?” Hōrologium parvulum ē sinū extractum sollicitē obtuēbātur. Subinde id quatiēbat et ad aurem appōnēbat.

Alicia, postquam paulum cōgitāvit, dīxit: “Diēs quārtus est.”

“Tempus ergō duōbus diēbus perperam id indicat,” Petasivēnditor suspīrāns dīxit. “Tibi dīxī būtȳrum māchinātiōnī idōneum nōn esse,” addidit, et īrātus Loporem Mārtium aspexit.

“At būtȳrum *optimum* fuit,” Lepus dēmissē respondit.

“Nīmīrum mīculae pānis nōnnūllae quoque penetrāvērunt,” Petasivēnditor queribundā vōce dīxit. “Tē nōn oportuit id cultrō quō pānem secuistī īserere.”

Lepus Mārtius hōrologium prehendit, maestēque id intuitus est. Tum in pōculum theae id immersit, et iterum intuitus est. Sed sōlum iterāvit id quod prius dīxit: “Optimum vērē būtȳrum fuit!”

Alicia, quae suprā umerum ejus cūriōsē spectābat, dīxit: “Quam inūsitatūm hōrologium! Diem mēnsis mōnstrat, nōn tamen quota hōra sit!”

“Cūr id oporteat?” Petasivēnditor mussitāvit. “Num *tuum* hōrologium annum mōnstrat?”

“Minimē vērō,” Alicia prōmptē respondit. “Etenim idem annus tam diū immūtātus dūrat.”

“Quantum ad *meum* attinet, plānē idem scilicet cōnstat,” Petasivēnditor dīxit.

Alicia prōrsus haesitābat. Dictum illīus nihil eī significāre vīsum est; grammaticē tamen certē dictum est. “Istud parum comprehendō,” quam urbānissimē dīxit.

“Glīs dēnuō dormit,” Petasivēnditor inquit. In nāsum ejus paulum theae calidae dēfūdit.

Glīs stomachōsē caput suum quassāvit. Oculīs etiam clauīs dīxit: “Prōrsus tibi assentior; in animō habēbam istud ipsum dīcere.”

“Aenigmāne hāctenus interpretāta es?” Petasivēnditor ad Aliciam versus dīxit.

“Immō vērō id conjectāre nequeō,” Alicia respondit. “Quō modō solvitur?”

“Omnīnō nesciō,” Petasivēnditor inquit.

“Neque ego quidem,” Lepus Mārtius inquit.

Alicia jam dēfessa erat. Suspīrāns dīxit, “Tempore melius vōbīs ūtendum est quam ut aenigmatibus inexplicābilis prōpōnendīs id perdātis.”

“Sī tū Tempus aequē atque ego cognōvissēs,” inquit Petasivēnditor, “nōn dīcerēs nōs *id* perdere. Tē oportet *eum* dīcere.”

“Nōn intellegō,” inquit Alicia.

“Nōn sānē intellegis!” Petasivēnditor contemptim renūens dīxit. “Vērī simile est tē numquam cum Tempore collocūtam esse.”

“Fortasse nōn,” Alicia cautē respondit. “Sed, cum mūsicam discō, scīlicet tempus ictibus signāre dēbeō.”

“Āh, rēs sīc explānātur,” inquit Petasivēnditor. “Is ictūs ferre nōn vult. Sī autem eō familiāriter ūterēris, paene omnia convenienter cum hōrologiō tibi faceret. Exemplī grātiā, sī tertia hōra esset cum in lūdō discere inciperēs, cōnsilium Temporī tantum subjiciendum esset—et hōrologium temporis pūncētō prōtinus prōgrederētur. Hōra octāva esset et cēna parāta esset.”

(“Velim quidem eam nunc parātam esse,” Lepus Mārtius sibi īnsusurrāvit.)

“Jūcundissimum vērō id esset,” Alicia cōgitāvit. “Sed eā hōrā nōndum ēsurīrem.”

“Prīncipiō fortasse nōn,” inquit Petasivēnditor, “sed hōram octāvam prōtrahere possīs, tam diū quam velīs.”

“Tūne eō modō rem geris?” Alicia rogāvit.



Petasivēnditor maestē renuit. “Egomet nōn sīc soleō!” respondit. “Mēnse Mārtiō proximō altercātiōnem inter nōs

habuimus—paulō prius scīlicet quam ille cerrītus factus est” (Leporem Mārtium cochleāre mōnstrāvit); “—apud symphōniā magnificām ā Rēgīnā Cordium habitam accidit. Mihi necesse fuit cantāre

*‘Micā, vespertiliō!  
Quidnam agās dubitō?’*

Carmenne fortasse cognōvistī?”

“Aliquid simile audīvī,” Alicia inquit.

“Carmen vidēlicet hōc modō prōcēdit,” Petasivēnditor porrō dīxit:

*‘Suprā mundum volitās,  
Ferculumque simulās.  
Micā, micā—’’*

Hīc Glīs sē quassāvit, et in somnō cantāre coepit: *“Micā, micā, micā, micā—”* et totiēns hoc repetēbat ut ad eum coercendum necesse esset eum āriter vellicārī.

“Atque prīmōs versūs vix cōnfēceram,” Petasivēnditor inquit, “cum Rēgīna vōciferāta est, ‘Tempus pessum dat! Caput eī abscīdite!’”

“Quam foedē ferōciterque ea ēgit!” Alicia dīxit.

“Et deinde porrō Tempus nihil quod ūrō mihi facere vult!” Petasivēnditor maestē perrēxit. “Nunc hōra ūndecima semper manet!”

Rem argūtē Alicia conjectāvit. “Illāne causā tot īstrūmenta pōtātiōnis hīc apposita sunt?” ea rogāvit.

“Ita vērō est,” suspīrāns Petasivēnditor dīxit. “Hōra pōtātiōnis semper est, neque interim satis temporis ad vāsa lavanda nōbīs est.”

“Nempe ergō locīs mūtātīs mēnsam circumītis?” inquit Alicia.

“Ita prorsus,” inquit Petasivēnditor; “postquam vāsīs ūsī sumus, prōtinus pergimus.”

“Sed quōmodo rem geritis ubi rūrsus ad initium redītis?”

“Aliā dē rē loquāmur,” Lepus Mārtius ōscitāns dixit. “Mē hujus reī taedet. Cēnseō ut puella nōbīs fābulam narret.”

“Vereor ut fābellam nōverim,” Alicia dixit. Haec enim sententia eam conturbāvit.

“Tum in ejus vicem Glīs aliquid narret!” ambō clāmāvērunt. “Ē somnō excitā tē, Glīs!” Utrimeque simul eum vellicāvērunt.

Glīs oculōs lentē aperuit. “Nōn dormiēbam,” vōce raucā et languidā dixit. “Audīvī vērō omnia quae vōs dīcēbātis.”

“Fābulam nōbīs narrā!” inquit Lepus Mārtius.

“Sānē, sīs, narrā!” Alicia precāta est.

“Et quam citissimē,” Petasivēnditor perrēxit, “aliter somnō vinciēris antequam fābulam terminēs.”

“Ōlim fuērunt trēs parvae sorōrēs,” Glīs festīnanter narrāre coepit; “et nōmina eīs erant Aemilia et Lūcia et Matilda; atque in puteō quōdam īmō habitābant—”

“Quō vēscēbantur?” Alicia inquit; studiōsa enim semper erat omnium rērum quae ad edendum et bibendum attinēbant.

“Sūcō ex saccharō factō vēscēbantur,” Glīs, cum paululum cōgitāvisset, dixit.

“At nōn scīlicet potuissent,” Alicia molliter dixit. “Vehementer aegrōtāvissent.”

“Vērō aegrōtābant,” inquit Glīs. “*Invalidissimae* erant.”

Alicia sēcum reputāre cōnāta est, quō modō tam inūsitātē vīvī posset; sed hōc ratiōcinandō nimium conturbāta est. “Sed cūr in īmō puteō habitābant?” inquit.

“Accipe plūs theae,” Lepus Mārtius gravissimē Aliciae dixit.

“Nihil adhūc accēpī,” Alicia animō exasperāta respondit. “Plūs igitur accipere nōn possum.”

“Dīcī oportet tē *minus* accipere nōn posse,” Petasivēnditor inquit. “Facillimum est *plūs* nihilō accipere.”

“Sententia tua nōn rogāta est,” Alicia inquit.

“Quisnam nunc contumēliās jact?” Petasivēnditor triumphāns rogāvit.

Alicia incerta erat quid respondēre dēbēret; itaque theam et pānem būtyrō illitum sibi cēpit. Deinde ad Glīrem versa iterum rogāvit: “Cūr in īmō puteō habitābant?”

Glīs rūrsus paulum cōgitāvit; tum dixit: “Puteus sūcō dulcī plēnus erat.”

“Talis rēs nusquam exstat!” Alicia īrātissimē dicere incipiēbat, cum Petasivēnditor et Lepus Mārtius “St! St!” dīcērunt, atque Glīs mōrōsē fātus est: “Sī cōmis esse nōn potes, tē ipsam fābulam absolvere oportet.”

“Immō vērō perge, sīs!” Alicia dēmissē dixit. “Tē dīcentem nōn rūrsus interpellābō. Fortasse sit *ūnus* ejusmodī puteus.”

“Ūnus scīleēt!” Glīs indignāns dixit. Ad pergendum tamen adductus est: “Itaque hae trēs parvae sorōrēs—artem dēdūcendī discēbant—”

“Quid dēdūxērunt?” Alicia, fidē violātā, dīxit.

“Nempe sūcum dēdūxērunt,” Glīs jam nūllā dēliberātiōne dīxit.

“Mihi opus est pōculō pūrō,” Petasivēnditor interpellāvit. “Ūnō locō ulterius uterque prōgrediāmur.”

Ita locūtus prōgressus est; Glīs eum secūtus est. Lepus Mārtius in Glīris locum successit; et Alicia invīta locum Leporis Mārtī sūmpsit. Petasivēnditor sōlus locīs permūtātīs frūctum percēpit. Alicia quidem locum multō dēteriōrem quam ante accēpit, quod Lepus Mārtius modo urceolum lactis in patellam subverterat.

Alicia, quae Glīrem rūrsus laedere nōluit, cautissimē dīxit: “At rem nōn comprehendō. Unde sūcum dūxērunt?”

“Aquam possīs ex aquae puteō dūcere,” inquit Petasivēnditor. “Nōnne ergō ex sūcī puteō, stulta, sūcum dūcere possīs?”

“Sed in fundō puteī ipsae erant,” Alicia, eō dictō neglēctō, Glīrī dixit.

“Erant profectō in fundō profundō,” inquit Glis.

Quō respōnsō Alicia sīc mente perturbāta est, ut Glīrem sine interpellātiōne aliquamdiū pergere sineret.

“Dēlineāre discēbant,” Glis perrēxit. Ōscitāvit et oculōs tersit, nam somnō gravis fiēbat. “Et rēs omnis generis dēlineāvērunt—omnia quōrum prīma littera ‘M’ est—”

“Quā rē ‘M’?” inquit Alicia.

“Quā rē nōn ‘M’?” inquit Lepus Mārtius.

Alicia siluit.

Glis jam oculīs clausīs dormitābat, sed ā Petasivēnditōre digitīs vellicātus somnō excitātus est. Breviter exclāmāvit et perrēxit: “—quōrum prīma littera ‘M’ est, tālia quālia mūscipulās et māla et memoriam et magnitūdinem—etenim ferunt rēs magnā magnitūdinis similitūdine esse—vīdistīne umquam imāginem magnitūdinis?”

“Certē, sī respondēre dēbeō,” Alicia magnā haesitātiōne dixit, “nōn cōgitō—”

“Nōn igitur loquī dēbēs,” inquit Petasivēnditor.

Hoc tam illepidum dictum Alicia tolerāre nōn potuit. Surēxit et animō fastidiōsō abscessit. Glis extemplō somnō sē dedit; reliquōrum neuter omnīnō eam abeuntem observāvit. Semel et saepius respiciēbat sī forte eam revocāre vellent. Ut eōs postrēmum vīdit, Glīrem in theae ollulam impōnere cōnābantur.

“Illiūc saltem numquam redībō!” Alicia inquit, dum per silvam viam carpit. “Insulsissima omnium compōtatiō est quibus umquam interfui!”



Quō dictō, statim animadvertisit forem in ūnam ex arboribus introitum praebēre. “Hoc quidem inūsitātum est!” sibi dīxit. “Sed omnia hodiē inūsitāta sunt. Mē extemplō, crēdō, intrāre oportet.” Itaque introiit.

Sē iterum in longō ātriō prope mēnsulam vitream esse invēnit. “Hōc tempore rēs mihi melius ēveniet,” sibi dīxit. Prīmō parvā clāve aureā prehēnsā jānuam quae in hortum ferēbat reclūsīt. Deinde bōlētum admordēre coepit (cujus partem in sinū cōservāverat), dōnec circiter ūnum pedem alta fuit. Deinde per parvum trānsitum prōcessit, ac tunc postrēmō in hortō amoenō inter flōrēs purpureōs fontēsque frigidōs fuit.